



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiae Gallicanae, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

II. Constantiam Ludovici VI. in conservandio magistratum suorum juribus  
adversùs rescriptum Romanæ curiæ recenset Ivo, licèt rem non approbet.  
Vetitum rescripto ne Præpositi regij præstationes ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15591**

rimum refragante. Quod hodie appellatio-  
 nis formulis perageretur. *Sed reclamante Cu-  
 ria*, inquit Ivo, *plenariam pacem impetrare ne-  
 quiuimus, nisi predictus Metropolitanus per ma-  
 num & sacramentum eam fidelitatem Regi face-  
 ret quam predecessibus suis Regibus Francorum  
 antea fecerant omnes Remenses Archiepiscopi &  
 ceteri regni Francorum quamlibet religiosi & san-  
 cti Episcopi. Quod persuadentibus & impellentibus  
 totius Curie optimatibus, etsi propter manda-  
 torum rigorem minus licebat, factum est tamen,  
 quia Ecclesie paci & fraternae dilectioni sic ex-  
 pediebat. Hac petita sunt ex epistola Iuonis  
 ad Paschalem I. quem demulcere conatur,  
 prudenter docens in iis quae non sunt prohi-  
 bita aeterna lege, sed tantum a Praefulibus  
 libertati acquirendae consulentibus, dispen-  
 satione utendum esse, summumque jus re-  
 mittendum; monente Augustino, ubi po-  
 pulorum strages jacent, detrahendum esse  
 aliquid canonum severitati, ut maioribus  
 morbis sanandis caritas sincera subueniat.  
 Mox subdit: *Consulendo & rogando mouimus  
 ut ibi consilij & pietatis studeatis uisceribus  
 abundare ubi fas non est debitam fortitudinem  
 exercere.* Iuonis consilium non solum in ne-  
 gotio Gervasij, sed etiam in simili specie  
 quae in Anglia emerfit, secutus est Summus  
 Pontifex. Cum enim acriter inter se con-  
 tenderent Anselmus Cantuariensis & Hen-  
 ricus II. Anglorum Rex, ita ut ille homi-  
 nium Regi facere aut sine mora regno exce-  
 dere iuberetur, Paschali Summo Pontifice  
 consulto, qui literis suis hominij praestatio-  
 nem interdicebat, in haec uerba prorupit  
 Henricus, teste Willelmo Malmesburiensi:  
*Quid ad me de literis Apostolici? Iura regni mei  
 nolo amittere.* Et tandem jus suum retinendo  
 consensum Pontificis elicit; ut alibi testa-  
 tur idem Malmesburiensis.*

I. Eiusdem Ludouici Regis in confer-  
 uandis magistratum suorum iuribus con-  
 stantiam recenset Ivo; quamvis eam in fa-  
 cti specie proposita improbet. Clerici Car-  
 notenses a Paschali II. decretum impetra-  
 runt, quo Praepositis regis uetabatur ne ab  
 Ecclesiasticis pauperibus praestationes ali-  
 quas exigerent. Praepositi uero Regi *sugges-  
 serunt ad diminutionem sui regni hoc privile-  
 gium factum esse.* Quam rationem tenuerit  
 Ludouicus ut iuribus suis prospiceret aduer-  
 sus novum rescriptum, docet, licet indignans,  
 Ivo in epistola ad Paschalem: *Isti enim  
 ad hoc Regem seduxerunt, quomodo uoluerunt,  
 ut minaces literas aduersus Clerum mihi mitte-  
 ret, continentes eum minis quod bona Clericorum  
 sibi accepturus sit, ubicunque poterit, nisi privi-  
 legium uestrum destruat, & rapacitas Praepo-  
 sitorum in pace concedatur.* Praepositis nullam

fieri injuriam ex eo contendebat Ivo quod  
 non antiqua jura ab eis auferrentur, sed no-  
 uis & illicitis exactionibus obviam iretur, ut  
 ipse scripsit ad Regem: *Non enim minuitur  
 aliquid de jure Praepositorum vel aufertur, sed  
 apostolica auctoritate interdicuntur eis illicite an-  
 garia & pauperum vexationes, quas non tantum  
 Clericis sed nec laicis licet exercere vel exigere.*  
 Quod uerum fuisse ait a Papa sub anathe-  
 matis vinculo, idque a se inconsulto Apo-  
 stolico mutari non posse. Rogat Regem ut  
 pacem cum Ecclesia colat; testaturque se  
 nihil de jure Praepositorum minuere uelle,  
*ubi eis iustitia & quieta possessio legitime poterit  
 suffragari.* Petit inducias a Rege, ut Legatis  
 Ecclesiae Carnotensis liberum sit adire se-  
 dem apostolicam, cujus mandato, Regis  
 desiderijs, *remota pauperum oppressione possit  
 fieri satis.* Ivo literis ad Paschalem datis, tan-  
 tum abest ut Praepositis fauerit, quin potius  
 eos anathemate plecti petiverit. Quis fuerit  
 hujus controversiae eventus, nos later. Id  
 tantum certum est, Regem bonorum capio-  
 ne coercere uoluisse Clericos Carnotenses,  
 si rescripto Pontificis aduersus magistra-  
 tum jura uterentur. Fortasse Praepositi re-  
 gij Clericos egentes concutiebant; sed  
 animaduersio ad Regem omnino pertine-  
 bat, nec excommunicationi erat locus, praeci-  
 pue cum de crimine dubitaretur, & quod  
 Clerici de rapina damnabant, Praepositi in-  
 ter salaria recenserent.

III. Quantopere de regni dignitate tuen-  
 da sollicitus esset idem Rex Ludouicus, col-  
 ligere licet ex Iuone, qui Paschalem dissua-  
 det ne petitioni Tornacensium Clericorum  
 det locum. Poscebant diuisionem No-  
 uio-  
 mensis episcopatus, cum quo jam a tempo-  
 re B. Medardi, ante quadringentos annos,  
 Tornacensis episcopatus in unam cathedram  
 coaluerat. Videri sibi & ceteris Episcopis  
 Gallicanis ait Ivo uetustatem non esse  
 conuellendam; praecipue cum non adeo  
 lauti essent illius Ecclesiae redditus ut duobus  
 Episcopis sufficere possent, & *dignitas epis-  
 copalis his diebus paupertatem ferre non ualeat.*  
 Sed praecipuam rationem perit a Regis ani-  
 mo; quem hac diuisione adeo laedendum  
 praedicat, ut schisma in Galliis hoc Pascha-  
 lis facto provocatum iri non dubitet. *Nec in  
 hoc resistimus*, inquit, *quin possit sedes aposto-  
 lica parochiarum amplitudinem minorare, aut  
 breuitatem dilatare, si utilitas populi Dei ita  
 exigat, & nullum inde schisma contingat.*  
 Ostendit deinde fovendam potius Regis be-  
 nevolentiam quam aliqua subreptione vio-  
 landam. Ceterum quid schismatis nomine  
 intelligat, docuimus capite octauo. Nempe  
 significatum uoluit Ivo, etsi diuisionis de-

Vide secundam praestationem Mag. ca. 3. 31.

Vide supra lib. 1. c. 11. §. 2.

Ivo ep. 278.

H h

Willelm. Mal-  
m. de Gest.  
Henrici. l. 1.

Idem Malin. l. 1.

Ivo ep. 271.